

sui Sacrae Corporis in Eucharistia retineat integrè, ac perfectè, etiam si totus sit in qualibet Hostiæ parte, & totus in omnibus; quia partes dicti Sanctissimi corporis, quamvis penetratæ sint quoad locum, eamdem tamen inter se conditionem seruant, ac proportionem, atque coordinationem.

S E C T I O II.

De causis, tum in communi, tum in particulari.

MARE magnum nauigare, certè & sinè dubio incipio. faxit Deus, ut naufragium non faciam, cum valde tempestosum sit apud philosophos. hæc materia valde difficilis est, tum ob diuersitatem causalium, tum ob infinitos ferè modos operandi illarum. Deus sit mihi lampas ardens ut in portu nauigare valeam.

S V B S E C T I O I.

Definitionem causæ in communi pronuncio.

ANEQUAM proferam meam, & propriam definitionem causæ ut sic considerandæ sunt prius aliorum definitiones de eadem caula in communi definita, ut opposita iuxta se posita, magis elucescant, & in hac re multa prius prænotanda sunt.

1. Definitur ergo a Collegio Conimbricensi, 2. physicorum cap. 7. q. pr. sic; causa est id, a qua aliquid per se dependet. Perrerius verò lib. 8. suæ philosophiæ, cap. 1. sic causā describit; causa est, quæ per se, & principaliter concurrit ad substantandum effectum. quæ quidem definitio parum differt ab illa Ruvij lib. de causis n. 15. Suarius autem disp. 12. metaph. sect. 2. causam alio modo definire habet, & sic eam definit; est principium influens esse in aliud; inter modernos Arriaga putauit, causam clariss. cæteris definire, & dixit. causa est id, quod per se influit producendo essentiam; alij denique dixerunt esse principium cum prioritate naturæ in aliud influens. quæ definitiones allatae ab istis Doctoribus, potius obscurarunt, & essentiam causæ sepelierunt, quam ipsam explicarent, quoniam natura